

ergo. Resp. neg. sequel. Etsi enim Innocentius id totum concesserit, asserens hoc esse speciale in feudo, ejus tamen opinio communiter non approbatur.

142. *Etiā injiciendo manus in clericum vassallum, qui resistit, nec vult possessionem feudi relinquere.* — Dicendum proinde, quod dominus feudi possit sententiam ejusmodi mandare executioni, non quidem tangendo personam clerici (in hanc enim, utpote specialiter consecratam, et exemptam, vi feudi jurisdictionem non habet), sed compellendo eam aliis mediis; puta, terrore armorum, aut colonos, pro ipso feudum detinentes, vi inde repellendo: per hoc enim non agitur contra cit. can. *Si quis suadente*. Quod si vero clericus condemnatus personaliter feudum detineat, neque illud relinquere velit: tunc, sicut cognitio de crimine, ac sententia ferri debuit per judicem ecclesiasticum, ita per eundem fieri debet etiam compulsio absque eo, quod laicus vim inferat in personam clerici vassalli, Abbas in d. c. *Verum*, n. 23 et 24. *de Foro compet.* post Joan. Andream, et alios, hanc sententiam appellans tutiorem, et veriorum.

143. *Quando feudum est Ecclesie, an et qualiter ob crimen clerici feudum ipsi auferatur.* — Ceterum haec tenus dicta potissimum procedunt, quando feudum est paternum, seu spectans ad clericum vassallum: tali enim feudo clericus criminatus, ob proprium crimen privari meretur. Quod si autem feudum sit Ecclesie, tunc quia delictum personae non debet redundare in detrimentum Ecclesie, utpote quae non peccavit, juxta reg. 76 jur. in 6. tali feudo non privatur Ecclesia, saltem non perpetuo. Quod ultimum notanter additur: nam vivente clerico vassallo criminato auferitur quidem feudum ab Ecclesia, ac pertinet ad dominum directum: verum clerico illo mortuo revertitur feudum ad Ecclesiam, sicut successor in beneficio recuperat feudum. Textus est in lib. II. *Feud.* tit. 40. *de Capitulis Corradi*. § fin. Plura de feudis tum civilistae, tum canonistae in lib. III. *Decretalium*, tit. XX. *de Feudis inscripto*.

§ VI.

DE ILLIS, QUI POSSUNT UT ACTORES, VEL REI, STARE IN JUDICIO.

144. *Generaliter omnes possunt stare in judicio, qui nullo jure prohibentur.* — Quæritur I.

Qui omnes possunt ut actores, vel rei, stare in judicio? Resp. I. Generaliter loquendo omnes illi possunt in judicio stare ut actores, et rei, qui nullo jure prohibentur. Ita Speculator, tit. *de Actore*, § 1. n. 1. et communis. Nam hoc ipso, quod quis nullo jure sit prohibitus, censetur habere legitimam personam standi in judicio; prout in simili dicitur. I. *Mutus*. ff. *de Procuratorib.* et c. *Cum apud sedem*, 23. *de Sponsalib.* sicque et agere, et conveniri potest. Æquitati siquidem, jurique naturali consentaneum est, quod quilibet jus suum privatum, aut publicum reipublicae, defendere possit; vel sub persona actoris petendo, quod suum, aut reipublicae est; vel sub persona rei repellendo injustas actiones sibi intentatas, nisi a legibus specialiter arceatur.

145. *Sunt tamen plures personae sic prohibite.* — Resp. II. Plures nihilominus sunt personae, quae in judicio stare prohibentur; sicque agere, aut conveniri non possunt, vel saltem non sine alterius consensu. Ita communis, ac praesertim Speculator cit. tit. *de Actore*. et tit. *de Reo*, ubi fusissime praesentem materiam examinat, et resolvit; quae etiam declaratur in inductione.

146. *Excommunicatus, an, et qualiter in judicio stare prohibetur?* — Sic imprimis excommunicatus excommunicatione majori, tanquam actor in judicio stare non potest: quanquam conveniri non possit, et conventus in judicio per alium respondere teneatur; ne alioquin, si conveniri non posset, de sua malitia commodum reportare videretur, c. *Intelleximus*. 7. h. t. ubi Glossa, et doctores communiter. Fatendum tamen, quod excommunicatus, ubi se injuste gravatum, ac condemnatum existimat, excipere, appellare, et omnem justam defensionem (excepta potestate reconveniendi) facere non prohibetur, c. *Cum inter*. 5. *de Exceptionib.* Imo etiam super causa excommunicationis, quam contendi sibi esse injuste inflictam, ac etiam appellationis, possit rescriptum apostolicum impetrare, cap. 1. *de Rescript.* in 6. estque uberius dictum supra l. I. tit. 3. *de Rescript.* § 2 n. 43 et seqq. et tit. 38. *de Procuratorib.* § 2. n. 30. et seqq.

147. *Filiusfamilias absque patris consensu in judicio stare nequit.* — Deinde filiusfamilias absque patris consensu in judicio regulariter stare non potest, cap. ult. § fin. h. t. in 6. Et si secus fiat, atque filius in potestate patris constitutus, licet sit majorennis, absque patris consensu contra quemlibet extraneum

§ VI. DE ILLIS, QUI POSSUNT UT ACTORES, VEL REI, STARE IN JUDICIO. 491

agat, vel ab eo judicialiter conveniatur, judicium est nullum. I. *Cum non solum*. § *Sancimus*. C. *de Bonis quae liberis*, etc., et L. 1. § fin. C. *de Annali exception.* ac notat Speculator in cit. tit. *de Actore*, § 1. n. 22. asserens consensum patris hic exigere ad solemnitatem.

148. *Exceptis certis casibus.* — Additur vero, « regulariter stare non potest. » Nam imprimis filiusfamilias sine patris assensu potest stare in judicio quoad causas beneficiales, et spirituales, ac dependentes ab ipsis, cit. cap. ult. h. t. in 6. Deinde quoad bona sua castrensia, vel quasi castrensia: in his enim etiam contra patrem agit, l. *Lis nulla*. ff. *de Judiciis*, juncta Glossa fin. ibid. *Tertio*, quando filiusfamilias non suo, sed alterius nomine agit, c. *Qui generaliter*. 5. § *Necdum*. *de Procuratorib.* in 6. ubi filiusfamilias potest fieri procurator alterius, etiam ad judicia, absque patris assensu. Tacentur alii casus, de quibus Glossa d. cap. ult. § *Regulariter*. h. t. in 6.

149. *Furiosus, prodigus et servus, non possunt stare in judicio.* — *Tertio*, furiosus, vel mente captus, sicut et prodigus, cui bonis per judicem interdictum est, non nisi per curatorem, qui eorum nomine agat, vel respondeat, possunt stare in judicio, l. I. C. *de Curatore furios. et prodig.* Sed nec servus, seu mancipium in judicio interesse potest ut actor, reus, vel iudex, l. *Servus*. C. *de Judiciis*: nam quoad actus judiciales servi, pro nullis, seu pro mortuis habentur, l. *Quod attinet*. ff. *de Reg. jur.* Tacentur nunc alii in progressu enumerandi.

150. *Mulieres invito in causis civilibus ad judicium personaliter evocari nequeunt.* — Quæritur II. An mulieres possint personaliter stare in judicio, atque ad hoc compelli? Resp. I. Quantum ad propositum. Bonifacius VIII, can. 2. h. t. in 6. decrevit in hæc verba: « Mulieres (quas vagari non convenit, nec virorum cœtibus immisceri) auctoritate litterarum Sedis apostolicæ, vel legatorum ipsius, aut alia quacumque (puta, ordinaria, vel delegata ab eo, ut explicat Glossa ibidem) ad judicium personaliter evocari, vel trahi invitæ, causa ferendi testimonii, aut alia qualibet, quæ in jure non exprimitur, prohibemus. » Hæc Pontifex. Concordat textus in l. *Sancimus*. C. *de Recaptis arbitris*. Unde

151. *Mulieres invito in causis civilibus ad judicium personaliter evocari nequeunt.* — Infertur primo, quod mulieres invito in causis civilibus, vel etiam criminalibus civiliter in-

tentatis, non possint compelli ad personaliter comparendum in judicio, idque nec causa ferendi testimonii, sed nec ex quacumque alia causa: ac proinde, si mulieres conveniantur in judicio, personaliter illuc accedere nequitam coguntur, sed sufficit, si respondeant per procuratorem. Quod si autem earum testimonium fuerit necessarium, iudex vel per tabellionem, expensis partis producentis missum, illud exquiret; vel etiam, cessante fraude, ipsemet iudex eas accedet pro audiendo testimonio: prout sequitur in textu cit. cap. II. h. t. in 6.

152. *At volentes personaliter venire in judicium, demptis monialibus.* — Additur notanter, « invitæ. » Nam in dictis causis mulieres, si voluerint, bene possunt personaliter venire in judicium, argumento a sensu contrario desumpto; ac notat Glossa ibid. § *Invitas*. Dummodo hinc excipiantur feminae religiosæ, seu moniales: nam hæc, etiam volentes, extra suum monasterium, vel clausuram, non sunt personaliter evocandæ ad judicium. Quod si secus quidquam attentetur, illud ipso jure irritum est ac inane; prout subjungitur in cit. cap. II. § fin. h. t. in 6.

153. *In causis criminalibus coguntur mulieres etiam invitæ ad personaliter comparendum.* — Infertur ulterius, quod in causis criminalibus criminaliter intentatis bene possint mulieres, etiam invitæ, cogi ad personaliter comparendum in judicio; sicque ipsæ ob commissam crimina personaliter citari, imo et capi, atque incarcerari. Nam textus n. 150. allegatus prohibet solum, ne mulieres invito cogantur personaliter venire in judicium « ex qualibet causa, quæ in jure non exprimitur. » Atqui causa criminalis criminaliter intentata habetur in jure expressa, seu excepta in cap. I. h. t. in 6. juncta Glossa ibid. § *Criminalis*, cum concordantiis. Nam quod in causa criminali non possit intervenire procurator, jam dictum est supra lib. I. tit. XXXVIII. *De Procuratoribus*. § 3. n. 2. et seqq. (ADNOTATIO XXIX.)

154. *Pupillus absque tutoris auctoritate, non habet legitimam personam standi in judicio.* — Quæritur III. Utrum pupilli, ac minores viginti quinque annis, habeant legitimam personam standi in judicio? Resp. I. Pupillus, ante quatuordecim annos, ex defectu ætatis non habet personam standi in judicio; adeoque is neque agere, neque conveniri potest in judicio absque tutoris auctoritate: et si secus fiat, sententia lata contra pupillum ipso jure non tenet. Patet hoc ex l. I. C. « Qui le-

gitimam personam standi in judicio habeant,» juncta Glossa fin. et Bartolo ibid. qui tamen hoc intelligunt de sententia definitiva, non de interlocutoria. Concordat textus in c. *Si annum*. § *Si vero*. h. t. in 6. ubi minor quatuordecim annis etiam in causis beneficiabilibus, aliisque spiritualibus, per se ipsum, et absque curatore, in judicio agere, vel descendere prohibetur.

155. *Pupillus absque tutoris auctoritate, non habet legitimam personam standi in judicio.* — Igitur emergente aliqua lite necesse est, ut tutor ipsius pro pupillo agat, ac respondeat: ita tamen, ut si pupillus est ultra septennium, simulque præsens (nam pro absente, vel minore septem annis, semper tutor in judicio stabit) ipse auctoritatem ad hoc suo tutori præstet. Textus est in L. I. et 2. ff. *de Administrat. tutor.* juncta l. II. C. « Qui legitimam personam, » etc. et cit. c. *Sisannum*, h. t. in 6.

156. *Sicut et minores absque auctoritate curatoris, non habent legitimam personam standi in judicio.* — Resp. II. Insuper ex defectu ætatis legitimam personam standi in judicio non habent minores, seu minores viginti quinque annis, absque auctoritate curatoris; idque procedit tum in civilibus, l. *Cum et minores*. C. « Si adversus rem judicatam, » etc. tum in minoribus causis criminalibus, l. *Clarum*. C. *de Auctoritate præstand.* Quo posteriori in loco hujus ratio inter alias redditur, illis verbis: Ne minores alioquin ex sua imperitia, vel juvenili calore aliquid vel dicant, vel taceant, quod si fuisset prolatum, vel non expressum, prodesse eis poterat. » Gailus l. II. *Pract. observat.* 108. n. 1. et seqq. citans Bartolum, Baldum, et alios.

157. *Minori petenti dandus est curator ad litem. Et quid, si hunc nolit petere?* — Unde minori petenti dandus est curator ad litem, qui ejus nomine judicium exerceat, L. I. § fin. ff. *de Minorib.* et l. *Acta*. § fin. *de Re judicat.* Et si minor de industria, atque in fraudem actoris, nolit petere sibi dari curatorem, ut hac ratione judicium non sortiatur effectum (nam contra minores indefensos, vel curatorem non habentes, nulla sententia preferenda est, l. *Acta*. § fin. ff. *de Re judicat.*), tunc judex ad instantiam actoris debet mandare minori, ut intra certum tempus compareat, nominaturus curatorem ad litem. Et si is non compareat, neque curatorem nominet, tunc judex ex officio illum dabit, ne ex mora et contumacia minoris, judicium, magno acto-

ris incommodo, diu maneat in suspensio; ut l. III. § *Si pupillus*. ff. *de Tutel.* et l. I. C. *Qui petant tutor.* vel *curat.*; Maranta, part. IV *Speculi aurei*, distinct. 16, n. 36; Gailus cit. observat. 108. n. 3, allegans alios.

158. *Cum auctoritate curatoris, et tutoris, tum minor, tum pupillus potest stare in judicio.* — Dicitur notanter in data n. 156 conclusione, « absque auctoritate curatoris. » Nam id, quod dici solet, minorem non habere legitimam personam standi in judicio, fallit imprimis, si habeat curatorem, hujusque consensus accedat. Tunc enim non solum minor, verum etiam pupillus, cum auctoritate tutoris vel curatoris, recte in judicio agere, et conveniri potest; textu claro l. II. C. *Qui legitimam personam*. Gailus loc. cit. n. 8. cum aliis.

159. *An minor in causis criminalibus sine curatore possit in judicio stare?* — Et additur cit. n. 56, « in minoribus causis criminalibus. » Nam de his expresse loquitur dicta l. *Clarum*. C. *de Auctorit. præstand.* Alioquin quippe in criminibus minores ætatis suffragio non juvantur: etenim malorum mores non excusat ætatis infirmitas, nisi ex juris ignorantia, vel alias sine dolo delictum acciderit, l. I. C. *Si adversus delictum*. Concordat textus in l. *Si quis te reum*. C. Ad. leg. Cornel. *de Siciariis*: quanquam interdum miseratio ætatis ad mitiorem pœnam infligendam soleat judicem perducere, l. *Auxilium*. § *In delictis*. ff. *de Minorib.* Et quidquid sit de jure, seu dispositione dictæ l. *Clarum*, quod in practica non soleat dari curator minoribus, quando inquiruntur, seu examinantur in criminalibus: ac propterea horum confessio de consuetudine valeat, etiam sine auctoritate curatoris, testatur Julius Clarus lib. V. § fin. quæst. 50. n. 2. et Farinacius, tom. III. *Criminal.* quæst. 81. n. 370. citans alios.

160. *Quid, si impetravit veniam ætatis?* — Fallit insuper data conclusio in casu, quo minor post expletum vigesimum vitæ suæ annum, veniam ætatis impetravit: ut l. *Omnes*. C. « De his qui veniam ætatis. » et l. *Eaque*. C. *de Temporib. in integrum restitut.*

161. *Vel si agatur judicis possessorio?* — Fallit item in judicio possessorio, seu quando agitur de recuperanda, vel retinenda possessione, L. ult. C. *Qui legitimam personam*, etc. juncta Glossa, et Bartolo ibid. et aliis. Nam in judicio possessorio agitur de minori præjudicio, utpote quod, si contingat, in petitorio reparari potest: ac proinde ibi auditur

minor etiam sine auctoritate tutoris, vel curatoris.

162. *Aut sententia pro ipso lata fuit?* — Quin etiam in cæteris causis, quando minor absque auctoritate curatoris, vel pupillus sine interventu tutoris, agere tentavit, etsi sententia contra ipsum lata ipso jure non valeat, l. I et II. C. « Qui legitimam personam, » etc. valet tamen, si pro ipso lata est. Textus est in l. *Non eo minus*. C. *de Procuratorib.* addita illa notabili ratione: « Minoribus enim ætas in damnis subvenire, non in rebus prospere gestis obesse consuevit. »

163. *In causis beneficiabilibus, et spiritualibus, minor potest agere, ac respondere in judicio absque curatore.* — Fallit insuper data n. 156, conclusio in causis beneficiabilibus, aliisque spiritualibus, et dependentibus ab eisdem. Siquidem clericus minorennis in causis beneficiabilibus (imo et laicus respectu causarum spiritualium, vel dependentium ab istis, v. g. in causa matrimoniali, vel juris patronatus), si est major quatuordecim annis, vel per se, vel per procuratorem suum, absque alio curatoris interventu, in judicio agere, et respondere potest, non minus, ac si esset major viginti quinque annis; prout est textus expressus in c. *Si annum*. 3. h. t. in 6. juncta Glossa ibid. § *Ac si major*. et concordat quoad causam matrimonialem textus in c. *Ex parte*. 14. *de Restitut. spoliat.* Ex quibus juribus liquet, quod minorennis, si est major quatuordecim annis in beneficiabilibus, aliisque spiritualibus causis, habeatur pro majori. Glossa in cit. c. *Ex parte*. § *Quamvis minor*; Barbosa in d. c. *Si annum*. n. 2. h. t. in 6; Flaminius Parisius, l. III. *de Resignatione beneficiorum*. quæst. 7. n. 3. et alii. Quanquam si contigerit, ejusmodi minorem in actibus judicialibus graviter lædi, is non prohibeatur postmodum petere restitutionem in integrum. Barbosa, loc. cit. n. 2, Pirhing, n. t. n. 15, et alii. Alioquin quippe privilegium ipsi concessum, in ejus præjudicium retorqueretur, contra reg. 61 juris in 5.

164. *Atque hoc procedit etiam de laicis minoribus respectu causarum spiritualium, ac dependentium ab eis.* — Atque istud respectu causarum spiritualium, v. g. matrimonialium, et dependentium ab eis, ut est jus patronatus, ac hujusmodi, etiam procedit de laicis natu minoribus, quando sunt puberes, seu decimum quartum ætatis annum exceperunt. Nam textus in cit. c. *Si annum*. h. t.

in 6. generaliter loquitur non solum de beneficiabilibus, sed etiam « de aliis causis spiritualibus, nec non et dependentibus ab eisdem: » non distinguendo, num minor sit clericus, vel laicus. Concordat. c. *Ex parte*. 14. *de Restitut. spoliat.* ubi mulier, quamvis minor, causam matrimonii per procuratorem agebat: ubi Glossa § *Quamvis minor*. pluribus hoc exequitur. Pirhing, h. t. n. 15.

§ VII.

AN, ET QUALITER RELIGIOSI, AC PRÆLATI, POSSINT AGERE, ET CONVENIRI IN JUDICIO?

165. *Religiosi subditi nequeunt agere, vel conveniri in judicio absque licentia sui prælati.* — Quæritur I. Utrum monachi, alique religiosi, possint agere, et conveniri in judicio? Resp. Regulariter loquendo religiosi subditi nequeunt agere, vel conveniri in judicio, sine licentia sui prælati. Ita Glossa in can. *Non dicatis*. 12. q. 1. § *Possidere*. Speculator, tit. *de Actore*. n. 28; Navarrus, *Comment.* 2. *de Regularib.* n. 64. et communis aliorum. Idque clare patet ex can. *Monachi a monasterio*. 16. q. 1. cum similibus. Etenim religiosus non est sui juris, cum velle et nolle non habeat, c. *Si religiosus. de Election.* in 6. Nec etiam habet dominium bonorum temporalium, cum propter Deum omnia reliquerit, omneque eorum jus in monasterium transtulerit, c. *In præsentia*. 8. *de Probation.* et can. *Si qua mulier*. 19. q. 3. Unde consequens est, quod nec agere possit sine consensu sui superioris, nec conveniri super iisdem bonis, sed potius conveniendum sit monasterium.

166. *Nisi pro reformatione monasterii accusando prælatum.* — Additur in conclusione, « regulariter loquendo. » Nam imprimis, ne monasterii reformatio valeat retardari, ab ipsomet jure, et non petita alia superioris licentia, permissum est monachis suos prælatos accusare, etiam de bonis monasterii faciendo necessarias expensas litis, c. *Ex parte*. 11. et c. *Olim*. 26. *de Accusation.*; Speculator, cit. n. 48; Navarrus, ubi supra. n. 65.

167. *Aut nisi de licentia abbatis existant extra monasterium in loco remoto.* — Deinde, licet monachi non possint alios accusare, nisi intersit monasterii, atque accedat licentia prælati, cit. c. *Ex parte*. juncta Glossa, § *Licet alios. de Accusation.*, cum similibus: hoc ipsum tamen limitatur, nisi mo-